



Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo XVI. Antiqua Monumenta Ad Historiam Mediae Aetatis Illustrandam,
Nunquam Edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1601

Epistola XVI. Praecipuae dignitatis pastori Ill. Episcopo, & omni
congregationi in Ecclesia S. Andreae Deo seruientium. Alcvini Vestrae
Clientellvs sanctitati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64144)

sententiam: Venite benedicti patris mei, percipite regnum,
quod vobis paratum est ab origine mundi.

Vos aeterna DEI conseruet gratia fratres.

Nominis atque mei memores sine fine valete.

EPISTOLA XVI.

*Eitelbreth E-
piscopo Haug-
staldensi.*

Præcipuæ dignitatis pastori Ill. Episcopo,
& omni congregationi in Ecclesia
S. Andreae DEO seruien-
tium.

*ALCVINI VESTRÆ CLIENTELLVS
sanctitati.*

Iacob. j.

PARVITATIS meæ literulas dirigere curavi, vt & p-
stum antiquæ familiaritatis innouarem, & me ve-
stris sacratissimis commendarem orationibus. Vni-
uscuiusque in secreto oratio ad aures omnipotentis DEI
Et si vnus iuxta Apostolum, multum valet deprecatio iusti
quantò magis & totius sanctissimæ congregationis in Chri-
sto, quorum quotidie canonicis horis pacificæ vnanimita-
tis postulationes cælum penetrare credendum est etiam
& singulariùs peruenire non dubitandum est. Quapropter
cum omni petitionis humilitate, me ipsum etiam vnicui-
que, & communibus omnium, & specialibus singulorum
quantum ea valet apud vestram pietatem deprecatio, com-
mendo orationibus, vt per vestræ sanctitatis preces meo-
rum catenis peccatorum absolutus, fratres charissimi, vtra-
ianuas ingredi merear.

O nobilissima Sanctorum progenies patrum illorum
honoris, venerabilisq; vitæ successores, & pulcherrimorum
habitatores locorum, vestrorum sequimini vestigia patrum

ut de his pulcherrimis habitationibus, ad eorum, qui vos genuerunt, æternæ beatitudinis confortium, in cœlestis regni pulchritudinem Deo donante, peruenire mereamini.

DEI discite scire, & implere præcepta, illo dicente, Si vis vitam ingredi, serua mandata. Ideo necessaria est sanctorum lectio librorum: quatenus in eis quisque inueniat, quid sequi, vel quid cauere debeat. Maneat verò in vobis lumen scientiæ, & per vos aliis luceat Ecclesiis: ut vestra laus in ore resonet omnium; & vobis in cœlis merces maneat æterna. Vnusquisque proprii laboris mercedem accipiet. Pueros adolescentesq; diligenter librorum scientiam in via DEI docete, ut digni vestri honoris fiant successores etiam, & intercessores pro vobis.

Suffragia verò viuentium, profunt morientibus, vel ad veniã peccatorum, vel ad maioris glorię augmentum. Qui non seminãt, non metet: & qui non discit, non docet. Et talis locus sine doctoribus, aut nõ, aut vix saluus fieri poterit. Magna est eleemosyna, pauperem cibo pascere corporali; sed maior est, animam doctrina spiritali satiã esurientem. Sicut pastor prouidus gregi suo, optima prouidere pascua curat: ita doctor bonus, suis subiectis perennia pascua vitæ omnistudio procurare debet. Nam multiplicatio gregis gloria est pastoris: & multitudo sapientium, sanitas est orbis.

Scio vos, sanctissimi patres, hæc optimè scire, & voluntariè implere. Sed caritas dictantis ab ore rapuit verba, credens vos pia velle humilitate legere, quæ sobria in DEI dilectione dictaui deuotione. Iterum iterumq; obsecro, ut mei nominis inter familiares vestros memoriam habere dignemini.

Almitatem vestram pro tota DEI intercedentem Ecclesia, ipse Deus Christus exaudiat: vosq; ad æternæ beatitudinis gloriam peruenire concedat charissimi fratres.

F EPI.

Matth. 19.

Sap. 6.